

**Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius, D. & Theologicae
Facultatis Senior. Ad exequias Quas Marito desideratissimo Johanni Balemanno,
Vidua Maestissima Hodie hora Media prima in templo Mariano parabit Omnes &
singulos Academiae Cives invitat**

Rostochii: Kilius, 1636

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746829124>

Druck Freier  Zugang





Qvistorp, J.,


in J. Balemann.

R. 1636.

61.







RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOHANNES
QVISTORPIUS, D.
& Theologicæ Facultatis
SENIOR.

Ad exequias

Quas

Marito desideratissimo

JOHANNI BALEMANNO,
Vidua Mæstissima

Hodie hora Media prima in templo Mariano parabit


Omnes & singulos Academicæ Civis invitatur



ROSTOCHII

Excudit NICOLAUS KILIUS, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXVI.



Morte non repentina quidem
sed valde tamē inſperata obiit
Vir honeſtus & civis pr. ma-
marius JOHANNES BALEMAN,
ſui ordinis decus & Reipubl.
patriæ ornamentum haud vul-
gare & plebejum. Cujus beatus obitus facit & co-
git nos memorare non tantū vitæ noſtræ fragili-
tatem ſed & providentiæ divina præſentiam e-
videntiſſimam. Illa enim vitæ nimirum huma-
na fragilitas ex eo ſatis ſuperq̄, apparet, quod è
medio vitæ florentis curſu abſeptus eſt is, qui
multos etiam annos dilectiſſimæ uxori & liberis
toti deniq̄, honeſtiſſimæ familia promittebat. Na-
tus nimirum eſt hac in urbe Anno Servatoris
nati 1591. die Purificationis Mariæ, obiit vero
die 12. hujus Decembris, ita ut annos 45. non-
dum ſolidos & vertentes vivendo confecerit.
Neq̄, cauſæ non erant, quæ in hac eum vitæ diu-
tius tenere potuiſſent: Siquidem natus erat ex
honeſtiſſimæ familia & laudatiſſimis majoribus,
flo-

florebat opibus, uxore, liberis, nihil deniq; omni-
um de erat, quæ qui possident, felices existiman-
tur. Patrem sibi habuit cognominem JOHANNES
BALEMAN, in hac civitate negotiatorem & Civem
primarium Avum GEORGIUM Civem Lunabur-
gensis landatissimum Aviam MARGARETAM
BACMEISTERS, Sororem Reverendi & Clariss.
Viri D. LUCÆ BACMEISTERI, SS. Theol. Doct,
& Professoris hujus Academiæ celeberrimi
quondam & Ecclesiarum Rostochiensium Super-
intendentis vigilantissimi: Matrem BARBA-
RAM BATEN, Dn. D. LEVINI BATTI in hac Aca-
demia Professoris & Mathematici quondam
Excellentissimi sororem, Reverendi Viri Dn.
BARTOLOMÆI BATTI, ob religionem veram &
orthodoxam à Flandria Belgæ emulantis filiam.
His ergo parentibus apud nos ortus & a pijs parē-
tibus piè ac liberaliter educatus ita adolevit, ut
negotiationi se daret, ac in ea suam parentibus o-
peram solertem ac bona frugis plenam ad proba-
ret, donec Anno ætatis duode vigesimo in Bel-
gium, inde in Galliam à parentibus missus abiit.
Qua in peregrinatione ita se gessit & suum ne-
gotium ut expedivit, matri vidua abunde
satisfaceret, eiq; vocis ac desiderii feliciter re-

Sponderet Quo factum est, ut ejus voluntate do-
mum reversus, de consilio ejusdem & cognato-
rum, contraheret matrimonium cum Virgine le-
tissima CATARINA SMEDES, vidua nunc
maestissima, viri honestissimi & civis hujus Reip.
quondam Primarii NICOLAI SMEDES, &
matronæ laudatissimæ ANNÆ MEIENFELDS
filia, virtutibus ei sexui convenientibus ornata
& conspicua, idq; Anno 1615 die 19. Septemb.
Neq; votis hoc in matrimonio factis divina de-
fuit benedictio, quæ promittitur piis conjugibus
preces & laborem, duas res divinitus huic rei
mandatas & ordinatas, conjungentibus. Nam &
ceteris fortuna bonis locupletatus est, & liberos
absq; clade domestica nunc quoq; Dei benignita-
te salvos ac superstites genuit, masculos quidem
HANS & NICOLAUM, quorum ille in Polonia
absens negotiationi sedulari & solertem operans
navat, patris exemplum imitatus: femellas
vero virgines, BARBARAM, ANNAM a via ma-
terna cognomine in & CATHARINAM prematuræ
obitum desideratissimi patris acerbè lugentes ac
deplorantes. Nec in civili ordine honoribus carui-
it. Cum enim ejus in re familiari curanda esset
manifesta dexteritas, aptus visus fuit, cujus fidei
aca


ac sedulitati ararii praefectura committeretur pu-
blici: quae gradus ei haud dubie ad majores & ja-
nuam quadam exstitisset aperta, nisi ad caelestem
civitatem ex hac terrena supremi magistratus
jussu & arbitrio evocatus fuisset. Has ergo vi-
vendi causas cum habere potuisset hic defunctus
noster, visum est providentia divina ex medio
statu florentis fortuna virum nec aetate, nec opi-
bus, nec honoribus defectum amovere. Viribus
quidem aliquot retro annis non omnino fuit fir-
missimis ex morborum aliqua molestia: tamen
stationem suam non deseruit vel rebus agendis
de fuit. Septimo hujus mensis die cum Ribbenitium
peregre abiisset assumpto comite, rebus ex peditis
in reditu prope pagum Bentwisch agri-
tudinem animi corporisque sentiens, ibidem
substitit, & conjugem Medico, Chirurgo ad se vo-
catis domum commodè reductus est quidem, sed
morbi incrementa sentiens & medicorum licet
experientissimorum operam frustra adhiberi, a-
nimam salvisico Christi corpore ac sanguine pastam
inter preces devota mente pie ac placide creatori
suo duodecimo hujus mensis die post undecimam no-
ctem reddidit. Sed prius quam huic opera nostra
finem imponamus, Providentiae divinae praesentia


nonnullam sui licet brevisam considerationem
hac à nobis occasione postulet nec enim ratio insti-
ti nostri proficitatem admittit. Maternus hujus
beatè defuncti avus, cujus modo facta est men-
tio, Dn Bartholomæus Battus maluit solum ver-
tere ob religionis causam, quam in patria sub ido-
latriis gravibus & conscientia vim afferentibus
dominis vitam servituti gravissima proxi-
mam vivere. Communis fuit ea calamitas huic
viro cum aliis longè plurimis, honestissimis &
piissimis hominibus, qui cum ob eam causam
exules apud nos hospitium quaerere, minimè va-
cui venerunt & inanes earum rerum quibus
hospitatem nostram compensare possent & gra-
tiam accepto beneficio copiosam reddere. Primò
enim suæ pietatis exemplum nobis obtulerunt &
ostenderunt, religio veri & conscientia libera
omnes aliarum rerum caritates, ipsi etiam patria
postponendas esse; Deinde iis nos artibus eru-
dierunt, quarum antea notitiam vel peritiam
hac loca vel nullam vel per exiguam habebant.
Ut enim ceteras omittam, quæ summo Germa-
niae totius commodo huic allata manu exercentur
& peraguntur, quæ magnam hominum gnavo-
rum & industriorum vix numerabilem copiam à
pan-


paupertatis & inopia molestia. ad opes & copias
transulerunt, quæ magna hodieq; ab illis initiis
augmenta capiunt. Sola nos Matheſis docet, quæ
ante istam calamitatem & adventum piorum
ac doctorum hominum apud nos jacebat, divini-
tus esse factum, ut hoc & cætera philosophiæ ve-
ræ, non adulterinæ, studia caput sensim attollere
& se nostro quoq; celo ostendere auderent. Quod
beneficium ut nobis divina providentia concessit
benignissimo, ita cauto opus est, ut ne indignos eo
reddamus nos, ac transmarinis locis potius
eam gloriam, fructum ac fortunam, quam nobis
per mittamus. Non ignotum est, quid Italis acci-
derit ad quos Musæ ac literæ, Græcia pulsa, con-
fugiebant: quanta cum invidia ac dolore illorū
ad homines Transalpinos, quos illi tantum non
extremè barbaros appellare non verebantur, mi-
graverint. Sed hæc alium locum ac tempus po-
stulant. Deus pater omnis consolationis, curator
viduarum, tutor orphanorum, alloquio sancti sui
Spiritus mœstissimā viduam & orphanos, carissi-
mū Patrē lugentes confirmet, afflictos erigat, suæ
voluntatis nunquam aberrantis ordinatissimam
seriem ob oculos animi collocet illustratos, ut eam
agnoscant, ei se subjiciant, atq; obsequentes præbe-
ant;

ant, & medelam ab eo qui vulneravit pie ac pa-
tienter in vera fide exspectent. Quam ad rem
non nihil à nobis quoq; cives Academici requiri-
tur, nimirum ut frequentia nostra in exequiis te-
stemur condolentiam nostram Christianis pe-
ctoribus dignam: eademq; opera fragilitatis no-
stræ memoriam nobis excitemus & vitam atq;
in columitatem nostram Deo in his calamitosi-
& periculosis temporibus commendemo ac simul
mortalitatem nostram ac cœlestem æternitatem
cogitemus. Fiet funus hodie media hora i. cuius
deductioni ut Academiæ cives frequentes
interesse & in templo S. Mariæ convenire ad
horam mediam primam haud graventur om-
nes uti par est, rogamus & hortamur
P, P. Rostochii, die 16. Decembr.

1636.









paupertatis & inopia molestia. ad
transulerunt, quæ magna hodieq; a
augmenta capiunt. Sola nos Mathe
ante istam calamitatem & adventu
ac doctorum hominum apud nos jac
tus esse factum, ut hoc & cætera ph
ra, non adulterina, studia caput sen
& se nostro quoq; celo ostendere aua
beneficium ut nobis divina provide
benignissimo, ita cæto opus est, ut ne
reddamus nos, ac transmarinis
eam gloriam, fructum ac fortunam
per mittamus. Non ignotum est, qui
derit ad quos Musæ ac literæ, Græc
fugiebant: quanta cum invidia ac
ad homines Transalpinos, quos illi
extremè barbaros appellare non ver
graverint. Sed hæc alium locum a
stulant. Deus pater omnis consolatio
viduarum, tutor orphanorum, alloq;
Spiritus mæstissimæ viduam & orph
mū Patrē lugentes confirmet, adstrict
voluntatis nunquam aberrantis ord
seriem ob oculos animi collocet illustr
agnoscant, ei se subiciant, atq; obsequ

